

potestate ita ut nihil reliqui fuisset in suo regno Ludovici XIV auctoritati. Haec porro doctrina est loco fundamenti omnibus illis qui potestatem civilem independentem prorsus imo superiorem statuunt potestate ecclesiastica. Verum potestas politica spectari potest vel in universali, abstractione facta a quavis eius forma, vel in particulari secundum determinatas formas. Priore modo spectata ipsa est a Deo, et ideo est a Deo quia a Deo est creata natura ordinabilis in societatem; unde de iure naturae est quod sit talis potestas: ius autem naturae est quoddam ius divinum; idcirco nulla existente positiva Dei institutione, sed sola existente natura iam existit principium auctoritatis civilis. Forma vero regiminis sive monarchica sive aristocratica sive constitutionalis sive alia quaevis non est de iure naturae, sed ex quibusdam contingentibus factis, atque hominum tandem consilio et voluntate definitur. Est ergo haec auctoritas generice spectata naturalis ac de iure divino naturali, eadem tamen, si conferre licet, minus primario intenta a natura, quia necessaria minus, quam paterna (Cf. S. Gregorium in regula Pastoralis part. 2. c. 6. coll. Moralium L. XXVI. in caput 36. v. 46): forma autem quaevis ipsius de iure humano est, et idcirco mutabilis. E contrario potestas ecclesiastica non consequitur naturam, est enim supernaturalis; idcirco immediate a Deo est quatenus Deus positiva institutione eam insituit ordinem condens supernaturalem; praeterea non tantum in genere est a Deo instituta, sed in specie, h. e. forma ipsa determinati regiminis eadem institutione constituta est a Deo, ideoque ipsa quoque immutabilis est. Igitur speciali modo et proprio prae politica potestate eoque excellentiore originem habet a Deo potestas Ecclesiastica. Cf. Bellarminum De Laicis c. 6.

§. XVII.

*Potestatem iurisdictionis in Ecclesia praeter Petri successores obtinere debent ex Christi institutione Episcopi qui singulis Ecclesiis ordinaria et immediata iurisdictione praesint.*

I. Iurisdictionem Petri eiusque successorum probabimus in Tract. sequente. Nunc ab ea tractanda praescindimus. Quaestio quae restat est huiusmodi: an praeter Petrum et sub Petro sint alii ex Christi institutione qui ordinaria potestate regere debeant oves Christi, et quinam illi sint. Quia vero historice constat Episcopos semper fuisse qui Ecclesiam regerent, quaestio ea duplex huc redit an ex Christi institutione Ecclesia regenda sit ab Episcopis qui singularibus Ecclesiis ordinaria et immediata potestate praesint. Quamvis enim Christus ita rem instituere potuerit, ut commissa universa Ecclesia Pe-

tro reliquerit illi potestatem delegatos suos a se institutos mittendi qui singulas partes ovilis gubernantes eum in regimine universae Ecclesiae adiuverent; potuit tamen et sic quoque Christus rem instituere ut sua voluntate determinaverit eos qui essent vocandi in partem sollicitudinis a Petro, iique essent episcopi. Quae quidem hypothesis non exigit ut dicamus eadem primaria intentione Christum voluisse Primatum Petri ceterorumque episcoporum auctoritatem; sed eos ideo potuit velle Christus ut Petrus in regimine Ecclesiae universae adiuveretur eo quod Ecclesia ab uno quoad omnes actus necessarios absque ministerio alterius regi nequit. Si itaque Christus non fecit solum potestatem Petro delegandi suam auctoritatem aliis, quibus vellet et quam vellet, seu si non reliquit determinandum Petro quinam et quomodo ei essent associandi, sed determinavit ipse voluitque esse Episcopos ordinaria et immediata potestate instructos, dicendum est eos Ecclesiam sub Petro regere ex Christi institutione, qui primario quidem, prout voluit Ecclesiam simpliciter esse, Primatum Petri in ea instituit, secundario vero, prout rationem habuit universalitatis Ecclesiae et necessitatis eorum qui Petrum in ea regenda adiuverent, voluit esse Episcopos qui ordinario iure singulos greges gubernarent. Si autem ipse id voluit, sunt ergo Episcopi ex Christi institutione Ecclesiarum Pastores.

Quod cum defendimus nolumus dicere Christum ipsum determinasse limites singularum Ecclesiarum, vel prohibuisse ne ulla particularis Ecclesia nisi ab Episcopo eiusque ordinaria iurisdictione regeretur: haec enim necessaria non sunt ut vera sit illa institutio Christi. Neque ingredimur quaestionem an iurisdictione Episcoporum sit immediate a Deo an a Papa: ab hac enim quaestione, quam in seq. tractatu tractabimus, illud est independens; sive namque neges sive affirmes iurisdictionem Episcoporum esse immediate a Papa, semper verum esse potest Christi institutionem et voluntatem esse ut Ecclesia ab Episcopis sub Petro regatur ordinaria iurisdictione. Id est igitur quod modo demonstrandum nobis sumimus.

II. Iam vero ex institutione Apostolorum facta a Christo (Luc. VI. 13. Matth. XVIII, 18. Ioan. XX, 22) ac promissione perennitatis eorum ministerii (Matth. XXVIII, 20) liquet voluisse Christum ut praeter unum Petrum eiusque successores essent alii potestatem habentes regendi, docendi et sanctificandi, quae potestas perpetuo propagaretur in alios. « Erras (aiebat Bernardus ad Eugenium III De Consid. L. III, c. 4.) si ut summam ita et solam institutam a Deo vestram apostolicam potestatem existimas. » Porro vi illius institutionis qua statuitur non solum Petrum sed et alios, qui eius fratres dicuntur, debere obtinere in Ecclesia potestatem idque in perpetuum,

efficitur plures debere esse qui cum Petro et sub Petro hac potestate potiantur. Hi vero nequeunt eam habere potestatem quae fuerit in Apostolis extraordinaria; perpetuum enim non est nisi quod est ordinarium: ordinaria autem potestas ea censenda est quae exprimitur verbis Christi directis ad Apostolos (nisi significetur eos spectari sub speciali ratione quatenus primi sunt initiumque perpetuae successionis, ut Ioan. XVI, 12. 13); in illis enim verbis institutio Ecclesiae continetur: oportuit autem Christum instituentem Ecclesiam formam eam exhibere quae ordinaria deberet esse in ea. Et sane praerogativas extraordinarias singulorum Apostolorum, cuiusmodi fuerunt auctoritas universalis, et infallibilitas, perperam conaberis demonstrare ex verbis Christi, qui, si excipias Petrum, numquam ad singulos, sed ad omnes simul sumptos, eosque cum Petro, loquitur. Eae quidem aliunde constant, eas tamen defecisse cum Apostolis certum est. Restat ergo ut potestas ordinaria quae primum fuit in Apostolis sit potestas ligandi et solvendi, potestas docendi, potestas sanctificandi per administrationem omnium Sacramentorum citra infallibilitatem et universalitatem auctoritatis in singulis; talis enim potestas et verbis Christi significatur, et necessaria est Ecclesiae. Hinc Apostolus ad Ephes. IV. 11. 12. ait quod Deus dedit quosdam quidem Apostolos.... quosdam autem *pastores et doctores* ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi. Ex quo patet necesse esse ut actio eorum qui enumerati sunt perduret quoad consummandi sunt sancti et corpus Christi aedificandum. Duplitter vero ipsa perdurare potest, vel quatenus eius efficacia maneat, vel quatenus continua successione semper actu existat. Iam vero patet hoc alterum quoque requiri; dicuntur enim a Deo illi dati *in opus ministerii εἰς ἔργον διακονίας*, quod actuale requirit exercitium potestatis. Porro Apostoli quatenus tales secundum totam amplitudinem potestatis perpetui esse non debebant; prophetas quoque et evangelistas, prout speciale munus significatur, perpetuos esse non debuisse satis constat; restat ergo ut pastores et doctores quatenus tales, quorum est proprium ministerium quo aedificatur corpus Christi et consummantur sancti, perpetua successione perdurent, quorum ministerio illud quoque obtinetur ut ministerii aliorum quod transiit efficacia semper perseveret. Ex divina igitur institutione debent esse in Ecclesia post Apostolos ii qui sint pastores et doctores qui nempe habeant potestatem regendi docendi simulque sanctificandi.

Iam vero constat quod illi, quos Christus voluit succedere in munere ordinario Apostolis et pastores esse ac doctores in Ecclesia, sunt eadem institutione Christi Episcopi qui portionem gregis Christi ordinaria potestate, insita nempe proprio officio, regant; ita ut

utrumque ad Christi institutionem spectet, et Ecclesiam regi ab Episcopis, et regi ab Episcopis iurisdictionem habentibus singillatim in partes ovilis Christi. Primum patet 1<sup>o</sup> quia si Christus voluit aliquos esse Pastores, eos certe voluit quos idoneos instituit ad hoc ministerium perfecte exsequendum: atqui soli Episcopi propter potestatem ordinis, quae de iure divino est, sunt subiectum idoneum ad regendam perfecte Ecclesiam: oportet enim rectorem Ecclesiae eum esse qui creare in ipsa ministros valeat quibus functiones Ecclesiastici muneris exercentur, quique Ecclesiam perennare possit, et sic praestantior sit ceteris qui functiones exercent; atqui talis non est iure divino nisi Episcopus qui non solum filios sed et patres gignere valet. 2<sup>o</sup> Teste Apostolo Act. XX. 28. Episcopi positi sunt a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, quibus verbis saltem significatur ordinatio divina ut Episcopi regant Ecclesiam. 3<sup>o</sup> Testante Clemente 1<sup>o</sup> ad Corinth. n. 42. Apostoli missi a Christo, eiusque acceptis mandatis praedicantes per regiones ac urbes, primitias eorum in Episcopos et Diaconos constituerunt. 4<sup>o</sup> Ignatius theophorus sollicitudinem gerens pro iis Ecclesiis in Asia ad quas scribit illud unum fere inculcat ut ordini hierarchico debita reverentia et subiectio deferatur, ac praecipue Episcopo, monens oportere Episcopum respicere ut ipsum Dominum, in eiusque sententiam omnes concurrere, eique et Presbyterio obedire mente indivulsa uni eius sacrificio communicando, ac Presbyterium coaptari debere Episcopo sicut chordas citharae (ad Magnesianos): secundum Iesum Christum vivere qui subiectus est Episcopo ut Iesu Christo, sine Episcopo presbyteris et diaconis Ecclesiam non vocari, ab haereticis se custodire qui indivulsus maneat a Deo Iesu Christo, et Episcopo et praeceptis Apostolorum, quique sine Episcopo et presbyteris et diaconis aliquid facit hunc non esse mundum in conscientia, subiectosque oportere esse Episcopo ut Dei mandato (ad Trallianos): ubi Pastor (episcopus) est, eodem et oves sequi oportere, una Eucharistia utendum esse, unam esse carnem Christi et unum calicem in unitatem Sanguinis ipsius, unum altare sicut unus est Episcopus cum presbyterio et diaconis, sine Episcopo nihil faciendum, omnibus poenitentibus remittere Deum, si respiciant ad unitatem Dei et Episcopi consessum, bonos esse sacerdotes, praestantius autem quid esse summum Sacerdotem, cui credita sunt sancta sanctorum (ad Philadelphios); omnes Episcopum sequantur ut Iesus Christus Patrem, et presbyterium ut Apostolos, sine Episcopo nemo quidquam faciat quae ad Ecclesiam spectant, rata Eucharistia habeatur illa quae sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit, ubi comparuerit Episcopus ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Iesus ibi est catholica Ecclesia, non licere sine Episcopo

baptizare aut agapen celebrare, et quodcumque ille probaverit hoc esse Dei beneplacitum, honorari a Deo qui honorat Episcopum, et diabolo obsequium praestare qui clam Episcopo aliquid agit (ad Smyrnaeos): interire illum qui se Episcopo maiorem censet, decere ut sponsi et sponsae de sententia Episcopi coniugium faciant ut nuptiae sint secundum Dominum, Episcopo attendendum esse ut et Deus attendat nobis (ad Polycarpum). Porro manifestum est hanc debitam reverentiam et subiectionem erga Episcopum adeo frequenter praedicari ab Ignatio ut unitas Ecclesiae, unitas scilicet fidei et communionis sit in tuto ita ut unitas haberi nequeat sine ea reverentia et subiectione; atqui quod Ecclesiae unitati necessarium exhibetur, id ex divina institutione postulari dicitur. 5<sup>o</sup> Sedes Episcoporum consuevit antiquitas appellare *Sedes Apostolicas*, *Apostolicam sortem*, *Apostolatium*, ut Paulinus facit ad Alypium epist. III. n. 1. et ad Florentinum ep. XLII, n. 3<sup>o</sup>. Gregorius Turonensis Hist. Franc. L. IV, c. 26. Apollinaris Sidonius epist. 4. L. VI. Avitus Viennensis epist. XXXVII; atque Episcopi semper hac appellatione honestati sunt ut successores Apostolorum dicerentur. « Hoc enim maxime laborare debemus (ait Cyprianus ep. XLII. ad Cornelium) ut unitatem a Domino et per Apostolos nobis successoribus traditam quantum possumus obtinere curemus. » « Apud nos (inquit Hieronymus ep. XLI ad Marcellam) Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos (Montani asseclas) Episcopus tertius est. » « Horum (Apostolorum) profecto nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent, ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt » ait Gregorius M. hom. in Evangelia XXVI, n. 5. Quocirca Tridentina Synodus Sess. XXIII, c. 4. declaravit « Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum ordinem praecipue pertinere. » Quae quidem successio non presse accipienda est; cum fere nullus Episcopus, praeter Romanum habuerit Apostolum in sua sede antecessorem, fuerintque constituti Episcopi viventibus adhuc Apostolis, nec accipienda secundum aequalitatem si singulos episcopos spectes, cum non sint pares singulis Apostolis; sed secundum similitudinem accipienda est si singulos Episcopos, excepto R. P., cum singulis Apostolis comparas, nam ordinariam potestatem ligandi et solvendi obtinent docendi et sanctificandi: atque secundum aequalitatem quoque si totum collegium Episcoporum cum collegio Apostolico conferas; par est enim potestas. Sic autem Ecclesia censuit Episcopos esse Apostolorum successores ut simul censuerit immutabilem sibi esse ideoque iuris divini hanc oeconomiam ecclesiastici regiminis; quod liquet non solum ex nunquam ab Apostolis usque interrupta praxi, sed et ab asserta Episcopis prae ceteris dignitate successorum Apostolorum in regimine Ecclesiae; nam

Apostolis aliquos succedere debere iure divino cautum est: quod et ea diserta constat professione quod Episcopi positi regere Ecclesiam Dei spectent iique praecipue ad hierarchiam divina ordinatione institutam. Quocirca Ecclesia a Cypriano definiebatur: Plebs sacerdoti (Episcopo) adunata et Pastori suo grex adhaerens (ep. LXIX), atque dicebatur Ecclesia esse in Episcopo, et Episcopus in Ecclesia (ibid.).

III. Alterum quod demonstrandum est, nempe ex eadem Christi institutione Episcopis singulis portionem gregis adscribendam esse quam regant ordinaria iurisdictione, ita demonstratur. Catholicus conceptus divinae institutionis Episcopatus repraesentat certe ipsam divinam institutionem ut ei sit prorsus conformis; atqui hic catholicus conceptus ita exhibet eam institutionem ut singuli Episcopi (uno excepto R. P.) nequeant quoslibet fideles aut universam Ecclesiam regere, sed ad certam tantum portionem gregis Dominici regendam iure ordinario destinati esse debeant, atque ita ut id ad essentialem Ecclesiae constitutionem pertineat: ergo talis reapse fuit institutio Christi. Minor pluribus constare potest. Sane sic divinam institutionem in actum deduxerunt Apostoli; nam et Paulus praecepit Tito (I. 5. 7) ut constitueret per civitates presbyteros; et Ioannes in Apocalypsi II seqq. septem Ecclesiis totidem angelos seu Episcopos asserit, ac b. Petrus 1<sup>a</sup> epist. V, 2. monet episcopos ut pascant gregem Dei qui in ipsis est, h. e. non universum Dei gregem sed qui est in ipsis; ecclesia enim est in episcopo ut in capite. Huius apostolicae ordinationis testis est Clemens I. c. sanctusque Ignatius qui in singulis Ecclesiis proprium Episcopum agnoscit, et testatur ad Ephesios n. 3<sup>o</sup> quod « Episcopi per terrae terminos definiti ex I. X. sunt sententia. » Nihil hac re certius est in Ecclesiastica historia; semper enim singulis pastoribus portio gregis adscripta fuit, quam regat unusquisque, et gubernet (Cyprianus ep. LV. ad Cornelium). Episcopatus enim unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur (idem De Unit. Eccl.) Cf. Augustini epist. XXXIV ad Eusebium n. 5. Hinc vetitum semper Episcopis derelicta sua Ecclesia alienas invadere, ab aliis excommunicatos recipere (can. apost. XI. can. nicaenus XV et V): hinc electio legitima Episcoporum ea ordinarie habita quae pro determinata Ecclesia fieret, ad quam Episcopus assumebatur, ita ut nec ad aliam unquam transire ipsi liceret, etsi forte ab ea in qua electus fuerat, non reciperetur, nisi ex permissione Rom. Pontificis, cuius rei suo loco afferemus testimonia. Hinc quilibet Episcopus a civitate suae sedis appellationem accipiens, ut in subscriptionibus synodalibus patet. Id porro ad essentialem Ecclesiae constitutionem pertinere creditum est; nam semper creditum est solius Rom. Pontificis utpote primatum habentis iurisdictionem esse in Ecclesia

universalem: et idcirco iure divino ceteros Episcopos partialem tantum h. e. in portionem gregis iurisdictionem habere posse; atque adeo vocatos quidem eos esse in partem sollicitudinis non in plenitudinem potestatis.

Ex demonstratis liquet iurisdictionem Episcoporum debere esse ordinariam; est enim ex officio ab ipso Christo instituta; ac debere esse immediatam erga eos fideles qui eorum curae sint commissi; hi enim per hanc iurisdictionem Episcoporum subditi eorum constituuntur: porro nequit non esse immediata iurisdictione in subditos.

#### SCHOLION

I. Constat iure divino esse in Ecclesia Episcopos. Gradus vero Episcopatum, Patriarcharum nempe, Primatum, Metropolitanorum, simplicium Episcoporum iure Ecclesiastico sunt. Adumbratio iuris Metropolitanici exstat in Epistola ad Titum, cui ius ab Apostolo confertur consecrandi Episcopos in civitatibus Cretae. Verum non satis constat an hoc ius fuerit collatum permanens cum iurisdictione permanente, an solum pro ea vice officium impositum sit Tito. Ceterum liquet Petrum tres constituisse sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Romanam, iis auctas iuribus propter quae dictae sunt postea Patriarchales. Metropolitanarum mentio fit in canonibus apostolicis et nicaenis. Huiusmodi autem institutionem a iure ecclesiastico vel apostolico ecclesiastico tandem dimanare patet. Nam iure divino omnes episcopi sunt pares; omnes enim ex aequo censentur Apostolorum successores: haec sane praerogativa in omnibus monumentis ecclesiasticis asseritur ex aequo omnibus episcopis nullo discrimine facto inter simplices episcopos, metropolitanos, archiepiscopos etc. Singularis est enim sententia Bernardi abbatis Fontis Calidi in Tractatu contra Waldenses et Arianos sec. XII (Gallandi XIV, 523) quod Archiepiscopi locum obtinent Apostolorum, Episcopi discipulorum. Cum ergo iure divino pares essent Apostoli, excepto Petro; et Episcopi pares erunt si ius divinum tantum spectetur. Praeterea omnes Episcopi ex aequo illud obtinent per quod ad regimen Ecclesiarum a Deo destinantur h. e. characterem episcopalem. Quod autem a iure divino non est, a iure ecclesiastico vel apostolico ecclesiastico repetendum est. Haec vero apostolica et ecclesiastica institutio normam quamdam divinam habuit, rationique maxime conformis est, ut disserit S. Leo epist. XIV ad Anastasium Thessalonicensem c. II. « Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni ta-

men datum est ut ceteris praesideret. De qua forma (discretionem scilicet potestatis Petrum inter et ceteros apostolos) Episcoporum quoque est orta distinctio, et magna dispositione provisum est ne omnes omnia sibi vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli quorum inter fratres prima haberetur sententia, et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliore, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret. »

II. Gersonis et Sorbonae commentum fuit quod Ianseniani postea propagarunt, non solum Episcopos sed et Parochos esse in Ecclesia ex institutione divina, quam doctrinam dilatantes Ianseniani asseruerunt ita Parochos esse pastores immediatos, ut Episcopus sit per se solum mediatus, et tantummodo ad supplendum vel emendandum Parochi defectum valeat immediatam iurisdictionem in oves parochorum exercere, non secus ac de Rom. Pontifice docuerunt respectu Episcoporum. Hinc voluerunt ius competere Parochis decidendi in Synodis controversias fidei, atque excommunicandi, unde effecerunt tandem ut *Pastoris* appellatione simpliciter Parochus honestaretur. Verum ex institutione quidem divina est ut Sacerdotes secundi ordinis tales sint qui possint assumi ad officium Parochi, et lex ipsa naturalis docet ut certis existentibus conditionibus conveniens sit illos assumere; at non est ex divina institutione ut debeant esse Parochi, h. e. non existit ius divinum seu divina lex determinans existentiam parochorum. Sane Parochus non est solum Presbyter qui curam ovium gerit per verbi Dei praedicationem et quorundam sacramentorum administrationem, sed est presbyter legitime deputatus ad ministrandum ex obligatione et proprio nomine verbum Dei et sacramenta certo dioecesanorum numero, qui ab eodem vicissim sacra recipere aliquatenus teneantur. (Cf. de Bouix De Parocho P. I. Sect. II. c. 9. §. 3<sup>o</sup>) Iam vero illud nequit dici ex divina institutione debere esse in Ecclesia quod longo tempore in Ecclesia non fuit tum quoque cum nihil obstabat quominus divina institutio in actum deduceretur: atqui primis tribus seculis iam aucto fidelium numero ita ut posset certe non solum in episcopatus sed in parochias etiam praesertim rurales distribui, nullus tamen fuit Parochus, sed omnem curam ovium Episcopus gerebat, vel per se, vel per presbyteros quos pro data occasione mittebat absque ulla habituali permanente iurisdictione erga determinatas oves. Iurisdictione scilicet omnis erat tantum penes Episcopum quam ipse cum suo presbyterio exercebat, fideliumque collectae die dominico apud unum Episcopum fiebant ad quem et qui in agris erant convenire debebant. Lege Iustinum Apolog. et Ignatii epistolas. Quarto autem seculo in

pagis et villis extra civitates coeperunt institui Presbyteri vel collegia Presbyterorum, et super presbyteros Chorepiscopi quoque qui per se simplices sacerdotes secundi ordinis erant, quibus cura ovium ordinaria sub Episcopo civitatis demandaretur. At intra fines civitatum non nisi post annum 1000 Parochiae constitutae sunt, omnia Episcopo cum suo Presbyterio, seu canonicorum collegio administrante; ita ut aetate quoque Tridentini quaedam civitates adhuc Parochis carerent (sess. XIV. c. 13 de Reform.). Haec late demonstrata sunt a Mario Lupi in opere *de Paroeciis ante annum 1000* et ab Aloisio Nardi in copioso opere *de Parochis*; quos consulere oportet. Errant proinde quicumque in veteribus monumentis presbyterorum nomine (nisi specialis ex contextu declaratio addatur) designari parochos censent. Falsum idcirco est et ab universa traditione alienum Parochos qua tales certum hierarchiae gradum constituere, multoque magis falsum est eos certum hierarchiae gradum constituere quae est iuris divini. Nam parochi qua tales non exiguntur iure divino in Ecclesia, ut ostensum est; hierarchia vero quae iuris divini est, exigitur eodem iure in Ecclesia. Ceterum hierarchia vel spectatur ratione ordinis vel ratione iurisdictionis. Si ratione ordinis, parochi pares sunt ceteris presbyteris: si ratione iurisdictionis, vel consideras iurisdictionem in foro externo, vel in foro interno: si in foro externo, talem iurisdictionem parochi nullam habent; neque enim valent ferre leges, iudicia instituire, poenas infligere: si in foro interno, ea est quam quilibet presbyter habere potest ab Episcopo et frequenter habet, totumque discrimen est quod eam parochus ex institutione Ecclesiae habet adnexam suo officio, presbyter simplex habet delegatam. Id vero non sufficit ut novus hierarchiae gradus constituatur; nam hierarchiae gradus per specialem potestatem constituuntur; heic vero non habetur nisi specialis quidam modus obtinendi eam potestatem quae aliis quoque communis est.

Turpiter proinde erravit Gerson affirmans (in opusculo de statutis ecclesiasticis) « Statum curatorum esse de institutione Christi et Apostolorum suorum a principio foundationis Ecclesiae, statumque curatorum esse de essentiali ac intrinseca Ecclesiae hierarchia, sicut est status Praelatorum » et (in sermone contra Bullam *Regnans* Alexandri V) « dominos curatos esse in Ecclesia minores praelatos ac hierarchicos hoc est principales ac dominantes per primam institutionem Christi, atque hunc statum a Papa destrui non posse. » Hunc errorem Gerson Sorbonae legavit, isque suos fructus tulit in Synodo Basileensi ac in Pistoriensi. Quia vero *Pastoris* appellatio usu biblico et ecclesiastico eum designat qui iurisdictionem habet in foro externo, cunctisque seculis ab Apostolica aetate ad ultima

tempora usurpata est ad Episcopos designandos, liquet haud iure vindicare sibi parochos appellationem pastorum absque ullo addito.

Ex his patet evidentius ratio iam superius indicata cur Episcopi ratione quoque iurisdictionis sint iure divino presbyteris superiores.

§. XVIII.

*Ratione habita finis Ecclesiae et originis potestatis qua Ecclesia regitur, liquet Ecclesiam esse societatem perfectam, et a civili prorsus independentem.*

I. Id negant nostra aetate omnes Ecclesiae hostes, atque huc athea civilium societatum gubernia spectant ut Ecclesiam, quam eradicare nequeunt, in vincula coniiciant. Hanc doctrinam, quam omnes catholici defendimus, lacesivit hisce diebus insulsissimo opusculo (*Revolution und Kirche*), ut originem suae missionis patefaceret, Dr. Iosephus Humbertus Reinkens (cf. *Periodicum Germanicum Katholik* 1876. II.3. Heft.) personatus episcopus veterum catholicorum, in quibus nihil est vetustatis praeter id quod Paulus appellat veterem hominem. Haeresis adversa arrisit plus minus somper regibus et imperatoribus qui finem suae auctoritatis ignorantes eamque amplificare studentes non patiebantur aliam esse in terris potestatem a se independentem. Errores huiusmodi proscrispsit Pius IX in Syllabo prop. 39, seqq.

II. Ea est perfecta societas quae neque est pars alterius societatis, neque alteri societati subordinatur; si enim huiusmodi est, oportet ut ipsa sibi sufficiens sit, h. e. potestas qua regitur sufficiens sit ad consecutionem finis: quo fit ut societas integra sit et in se tota, h. e. perfecta. Iam vero pars alicuius societatis sive collegium in societate nequit esse nisi is coetus cuius finis fini societatis subordinatur, sive ab eadem potestatem obtineat se constituendi sive haec potestas sit a natura: ratio est quia finis partis debet subordinari fini totius; ex quo fit ut potestas socialis ius habeat regendi collegia quae partes sunt societatis. Atqui finis Ecclesiae est excellentior fine cuiusvis alterius societatis a se distinctae. Distinctae enim ab ea non sunt nisi societates civiles: nam si quae sunt aliae societates quae dicantur religiosae, eae nisi sint membra huius nullum ius existendi habent. Iam vero finis intentus a societate civili est bonum aliquod temporale, scilicet explicatio earum virium singulorum et custodia eorum iurium singulorum quae a natura insunt ac ad vitam temporalem referuntur: quae duo si obtineant, felicitas quaedam temporalis existit. Huc sane spectant leges civiles, quae non id directe intendunt ut faciant homines simpliciter honestos et sic idoneos ad consecutionem finis sui supremi, sed ut faciant bonos